

44 *Vita S. Franc. de Paula*

dem, sic Barrius lib. 1., & quidem jam pridem in hanc regionem Patriam quondam suam Calabriae nomen, jusque priscum suum sibi vendicavit, quod olim ab aliis hujus regionis nominibus motum, ac relegatum, extra eam in quam angustiſſimo loco exul permolestè aliquando jacuit. Videbat enim, quod nullibi in Italia praterquam in hac regione ritè, ac verè esse poterat. Hæc denique Calabriae Provincia in duas divisa est, quarum una, citerior, seu inferior Calabria, altera verò ulterior, seu superior nominatur. Divisionem hanc, cum primitus totius Provinciae sola Consentia caput esset ac Princeps, Alphonsum Primum Aragoneum fecisse, asserit P. de Longobardis in Schedis dictis; Flore verò Philippum Secundum Austriacum, anno 1582. Ossunensium Duci Neapolitano Proregi mandasse, ut eam exqueretur. Qui sanè Neapolis respectu, proximiorẽ Calabriae partem citeriorem, & inferiorem dixit, remotiorem verò ulteriorem, superioremque appellavit. In hac porrò Calabria, & in citeriori præsertim S. Franciscum de Paula ortum fuisse Scriptor noster asserit, & nos ad fatietatem in Dissert. 3. ostendemus.

I V. DE SALICONE) Multa speculatur Papebrochius, ut inveniat unde potuerit Scriptor noster hoc Saliconis nomen, de quo cætera omnia monumenta silent, deducere. Conjicit tandem Amanuensium vitio fuisse factum, ut pro de Alexio, de Salicone scriberent. Quamvis & ipse etiam mendosè putet de Alexio scriptum, quia Jacobi familiam gentilitiam, ac proinde S. P. Francisci, non de Alexio, quam ipsorum tantum gentilis cujusdam fuisse vult, sed Martolillam asserit extitisse. P. de Longobardis non de Salicone posuit, sed Martolilla; & ita, ait, verum familiae nomen reposuisse. De Salicone autem vult dictum à vulgo Bartholum

Jacobi